Michels

5 30 50

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

INDAGANDÆ HISTORIÆ MORBI UTILITATE

AD

COGNOSCENDOS & CURANDOS MORBOS

QUAM

EX CONSENSU

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRO

GRADU DOCTORIS

RITE ASSEQUENDO

IN ALMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE

SOLEMNI ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBJICIT

JOSEPHUS FERDINANDUS MICHELS

JULIAS

D. XXIII. DECEMBRIS A. C. MDCCLXVI.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Typis JOH. HENRICI HEITZII Univerſitatis Typographi.

ILLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMOQUE DOMINO
DOMINO
S. R. I. COMITI
AB HATZFELD-
WILDENBOURG
DOMINO IN WEISWEILER PALAND
OVERBACH BOURHEIM CALCUM
WINKELHAUSEN MORP MERLOE &c.
SERENISSIMI ELECTORIS PALATINI
CUBICULARIO ET CONSILIARIO INTIMO
SERENISSIMÆQUE ELECTRICIS MAGNO
AULÆ MAGISTRO DUCATUS
JULIÆ MARESCHALLO
NEC NON
SATRAPIARUM DUSSELDORPII IN ESCHWEILER
ET WILHELMSTEIN SATRAPÆ &c. &c.

DOMINO
DOMINO SUO GRATIOSISSIMO

UT SE

SUAQUE STUDIA

COMMENDARET

LEVES HASCE PAGELLAS

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

HUMILLIMEQUE OFFERT

AUCTOR.

§. I.

Hiſtoria Morbi eſt collectio tam illorum, quæ ægrotanti in vario morbi ſtadio accidunt, ſive jam a ſanitate recedant, ſive cum illa conveniant; quam illorum quoque, quæ ante manifeſtatum morbum vel in ipſo ægroto, vel extra eundem, tanquam ad morbum aliquid conferentia extitiſſe, deprehenduntur.

§. II.

Ergo, quum oſtendere decreverim, quam neceſſaria & utilis Medico hujus Hiſtoriæ cognitio ſit, in bina capita ſponte diſpeſcitur ſermo meus. Dicendum primo erit de iis, quæ morbum anteceſſerunt; tum de iis, quæ per ipſum morbi decurſum obſervantur.

§. III.

Quæ morbum anteceſſerunt, quæque noſſe Medici intereſt, ſolent a Sauvagesio, *a*) cujus doctrinam maxime ſequi ſoleo, *principia* vocari, & in *prædiſponentia* & *occaſiones* diſtingui. Hæc, ut ordinem aliquem ſervem, ita pertractabo, ut primo de illis verba faciam, quæ intra ægrotantis corpus, tum de iis, quæ extra illud

quærenda ſunt. Ad priora pertinent ætas, ſexus, temperamentum, plethora, idioſyncraſia, conſuetudo, vitæ genus, vitioſa conformatio, hæreditaria labes, puerperium, morbique prægreſſi, plurima denique illorum, quæ in aliorum Pathologorum ſcholis, ſub cauſarum occaſionalium, ſeu potentiarum nocentium nomine nota ſunt; quæ ſingula paucis exemplis iluſtrare liceat.

a) DE SAUVAGES *Path. meth.* p. 24.

§. IV.

Ætatem ſcire expedit, non ut climactericos annos, vanum otioſorum ingeniorum inventum attendat, indeque periculi magnitudinem præſagiat, ſed quo judicare medens poſſit, an congruus morbus ſit ætati, an incongruus, an periculoſus ſit, an minus? an curam admittat, an reſpuat? Sic enim in puero ex dolente, rubenteque halluce non æque futurum podagræ paroxyſmum præſagiet, quam in ſene; nec de feminæ copioſiori menſtruorum profluvio male augurabitur, ubi eam nonum compleviſſe luſtrum noverit, de epileptica puella ſpem curationis non abjiciet, quam difficilius concipiet de adulta. Qui cuivis ætati magis familiares ſint morbi, egregie docet HIPPOCRATES *b*). In doſibus denique medicamentorum definiendis, ætatis notitiam abſolute neceſſatiam eſſe, monere non opus eſt.

b) *Aphor. III.* 27 — 31.

§. V.

Oportet & ſexum noſſe, quo certius judicium ferre de morbi natura valeamus. Quum enim ob uterum bis ægrotet mulier, & ab eo viſcere magna morborum caterva dependeat, ejuſque affectiones alios ſæpe ſimulent, & nerveorum morborum magnum in illud imperium ſit, & ratio

ratio ejus in curatione ſemper habenda, facile patet aſſerti veritas. In corpore feminæ, cui menſes fluunt, nihil magnum eo tempore moliendum eſſe, Cephalalgias, Cardialgias, Colicas, Lipothymias, Vomitus &c. oriri ſæpiſſime ab utero, diverſamque medelam expoſcere, quis eſt, qui ignoret?

§. VI.

Diverſum ſolidorum robur, & ingenium irritabile, quæ *c*) temperamentum vocant, non minus juvat attendere. Eſt, cui laxa fibra ad omnes motus torpet, & aquoſus albo corpore languor obtuſum nervorum ſenſum facit, quam ſi eodem loco velis cum illo ponere, in quo cum ſtrictis ſolidis cruor abundat, inſigniter errabis. Sunt huic quovis horæ minuto octuaginta circiter pulſationes *d*), quæ ſi in illo numerentur vehementer febricitabit. Egregie hinc Oosterdyk-Schacht *e*) monet, "vix certo „diſtingui poſſe, utrum homo febricitet, & quo intenſitatis gradu, niſi naturalem pulſus ejus conditionem perſpectam habeamus". Quod ubi locum in homine ignoto nobis antea non invenit, ſupplere aliquantum temperamenti attenta conſideratio poterit. "Competit enim eum „qui propria non novit, communia tantum intueri, eum„que, qui noſſe propria poteſt, illa quidem non negligere, „ſed his quoque inſiſtere" *f*).

c) Cum Hallero *Elem. Phyſ.* T. II. L. V. Sect. IV. §. VII.
d) Cf. Haller *Elem. Phyſ.* T. II. L. VI. Sect. II. §. XVI. XVII. ubi omnes natnrales pulſuum varietates, pro varia ætate, temperamento, ſexu, ſtatura, diei, annique tempore, climate &c. optime deſcribit.
e) *Inſtit. Med. Pract.* Sect. I. L. I. C. I. §. IX.
f) Celsus *de Medic.* L. I. præfat. p. 19. edit. Krauſ. Lipſ. 1766.

§. VII.

Plethora aptiſſime temperamentis ſubjungitur, licet

communis cum illis nihil habeat, niſi, quod in alio temperamento inanitio magis, in alio hæc vel illa Plethoræ ſpecies plerumque obtineat. Cujus cognitio haud exigui momenti eſt in febribus, inflammationibus, hæmorrhagiis &c. quoniam & principium morbi uberius declarant, & in medendo manu nos quaſi ducunt. Sic in plethorico facile apoplexiæ ratio perſpicitur, & obeſo, in quo Plethora ſic dicta ſpuria obtinet, fruſtra veſicatorium emplaſtrum mitius, quod macilentum ſatis movet, applicueris.

§. VIII.

Scire quoque expedit, a quibus rebus cujusvis natura abhorreat, ne principium mali, quod exiguum ſæpe eſt, aliunde repetamus. Male afficiuntur multi a leviuſculis, quæ non modo innocua aliis, ſed & ſalutaria ſunt. Læduntur hyſtericæ a ſuaveolentibus, ab Ambræ, Moſchique odoribus viri etiam quandoque linquuntur animo, convelluntur alii inviſo objecto in oculos ſubito cadente, aliis cor palpitat, & ſudores erumpunt, ſi vel inſciis illis exoſum animal, felis e. gr. aut cancer eodem conclavi incluſum eſt. Averſantur alii Roſarum odorem *g*); alii a miti Cancrorum lapidum pulviſculo haud mitius affliguntur, quam alii ab Arſenico. *h*) Quas idioſyncraſias noſſe Medici intereſt, ut rationem illarum habere in cognitione morbi poſſit.

g) Exempla collegit Experientiſſ. HERRMANN *in Diſſert. Inaug. de Roſa.* Argent. 1762. p. 28.
h) GAUB. *Meth. concinn. form.* §. 30.

§. IX.

Magna eſt vis conſuetudinis in utramque partem, ut & noceant multum, quibus adſueti non ſumus, & ademta prorſus una vice quibus adſuevimus, in haud exiguum ſæpe diſcrimen conjiciant. Sic qui longa fame, aut alienorum

norum ingeſtione in deſuetudinem ciborum venerunt, niſi lente ad priſtinam diætam redeant, male habent; qui carceribus diu incluſi, aut in montium cuniculis verſati repente Solis lumine fruuntur, caligant; & qui caput ſibi prima vice radunt, male ſæpius ferunt, donec adſueſcere didicerint, paſſuri denuo capitis dolores, aut defluxiones, ſi longo poſt tempore reſumere capillitii uſum velint. At aſſuetis interdici æque noxium eſt. De vita periclitantur, qui Opio carere coguntur, *i*) & vitam ſervari miſero BOERHAAVIUS vidit, cui febricanti amatum adeo vinum, quod negatum antea fuit, ab amico Medico, qui mores hominis noverat, conceſſum eſt. *k*) Eodem loco ponendæ ſunt conſuetæ evacuationes ſanguineæ potiſſimum ſuppreſſæ, vel neglectæ, quæ perſpectæ cognitionem morbi, ejusque principiorum, & medelam perfacilem reddunt.

i) HASELQUIST *Itin.* p. 203. 204. verſ. Germ.
k) VAN SWIETEN *Comment.* T. II. p. 110.

§. X.

Multum etiam refert, quo completam Morbi Hiſtoriam nanciſcamur, quod quisque vitæ genus ſequitur, compertum habere. Pro hujus enim diverſitate alia corpora aliis morbis magis patent. Suntque quædam affectionum ſpecies, quarum fomes in alio facilius, & frequentius oritur, & excitatur quam in altero. Sic ſtudiis dediti, aliique ſedentarii hypochondriaco malo, lapidarii pulmonum calculo, qui plumbum tractant, pictorum colica ſæpius affliguntur; de quibus fuſius conſulatur RAMAZZINI de *Morbis artificum.*

§. XI.

Vitioſa conformatio, quam quis vel inde ab utero patitur, vel caſu, morbove contraxit, æque digna eſt,

quæ inquiratur. Pone enim in oſſea pectoris crate coſtam aliquam deficere, aut ſpinam inflecti præter naturam, anguſtatum inde eſſe thoracis cavum; facile erit concludere, dyſpnœam, aſthma, phthyſin inde oriri, patebit. Collum breve ad Apoplexiam, ſcrophulæ ad ſuffocationem diſponunt.

§. XII.

Sic & ſi Medicus noverit, quibus malis ægrotantis parentes conflictati fuerint, an calculo e. g. podagra, epilepſia, ſcabie rebelli laboraverint, quæ mala transfundi in ſobolem, & per traducem quaſi propagari ſolent, tunc his quoque auxiliis facilius in morbi cognitionem deveniet, eumque etiam ante quam plene ſeſe manifeſtaverit, accedentibus tantum levibus adhuc aliis indiciis futurum eſſe, hariolari poterit. Quantumque ad principiorum cognitionem, & curationem hæc ipſa res faciat, doceamur ex illo exemplo juvenis, qui phthiſi laborabat, cujus rationem perſpicere nullatenus potuit Medicus, donec comperto patrem ejus podagricum fuiſſe, hæreditate acceptam morboſam materiam ad pulmones decubuiſſe ſuſpicaretur, applicitoque ad pedes veſicatorio podagram provocaret, hominemque a phthiſi liberum præſtaret.

§. XIII.

Præ reliquis vero hic opus eſt, prægreſſos callere morbos, qui magnam in dijudicando præſenti malo lucem accendunt. Male enim judicati morbi, aut alios ex ſe progignunt, aut futurorum principia relinquunt, quin &, licet perfecta criſi ſoluti ſint, debilitata tamen quædam viſcera plerumque remanent. Quæ ſi Medens cognita habuerit, atque perſpecta, in illorum, qui poſthæc ſequuntur, morborum diagnoſi multo felicius verſabitur.

"Bene

Bene itaque & ſapienter Celsus *l*), cum par ſcien-
„tia ſit, utiliorem tamen medicum eſſe monet amicum,
„quam extraneum." Et Tulpius *m*) "cave" inquit, „re-
„pudies Medicum, cui naturæ tuæ proprietas apprime
„nota." Neque modo ex prægreſſi morbi decurſu, ſym-
ptomatibus & reliquiis ad dijudicandum novum morbum
doctior evadet, ſed ex prioris curatione quoque ſæpius
reminiſcetur eorum, quæ tulit æger, & a quibus moveri
viſus eſt, cavebitque ab iis, a quibus ob prægreſſos mor-
bos abſtinere jubetur, uti a Caſſia e. g. in iis, quibus cal-
culus ſectus eſt, *n*) & in hyſtericis, *o*) qua re non parum
in ipſa morbi medicatione juvabitur. Diſcant hinc ſimul
illi, quam male ſuis rebus, & ſaluti conſulant, qui, quo-
vis, quem patiuntur, morbo, alium Medicum accer-
ſent, aut priorem; quem ſuſtinuerunt morbum, ſyphili-
tidem e. g. intempeſtivum pudorem conſulentes celant.

l) *Lib. I. præf.* p. 19. ed. Krauſ.
m) *Obſerv. Medic. ad Calc. Monit. Medic. VI.* p. 383.
n) Schulz *Mat. Med.* p. 139.
o) Linn. *Am. Acad.* T. VI. p. 359.

§. XIV.

Ingeſta tandem, geſta, retenta, & excreta, externe-
que corpori applicata ſedulo perquirenda, & attente con-
ſideranda ſunt, quoniam ex his ſimilibusque ſæpe curandi
nova ratio ducenda eſt. *p*) Ut paucis exemplis me ex-
pediam, quando novi acida cum pinguibus ingeſta eſſe
quam faciles Cardialgiæ, ſi patet flatulenta aſſumta, aut re-
frigeratum corpus eſſe, quam expedita Colicæ, *q*) ſi al-
vum adſtrictam per aliquot dies fuiſſe mihi liquet, quam
commoda Cephalalgiæ diagnoſis, atque curatio! Suntque
in his rebus quandoque circumſtantiæ quædam, in quas
vix divinatione aliquis niſi ſagax, naſutusque medicus in-
cidit. Exſtructi recens, aut gypſo obducti parietes,
com-

combuſta minio, ceruſſave picta ligna, quæ pictorum colicæ cauſam extitiſſe, vix tandem ſubolfecit COMBALUSIER, r) ſaccharata multa, quæ infantes circa Nativitatis Chriſti Feſtum ingerere vulgo ſolent, & picta crepundia, quæ ore recipiunt; lecti ea diſpoſitio, ut per feneſtræ rimulam latentem perflare ventus poſſit, quam rheumatiſmi, cujus origo diu ignorabatur, aliquando cauſam extitiſſe, legi, nos docent, quam ſollicite medens de quibuſcunque, quæ accidere potuerunt, interrogare & diſpicere debeat. Neque hic expectandum eſt, donec aut æger ipſe, aut adſtantes omnia hæc ſponte ſua enarrent, quippe qui ea ad morbi ſtatum pertinere, raro putant, ſed curioſe inquirenda, aut callide expiſcanda ſunt. Sic aliquando L. B. VAN SWIETEN s) hærebat in morbi cognitione alicujus fabri lignarii, cui caput intenſe dolebat, frons, & palpebræ tumebant, & rubebant, nucha tenſivo dolore afficiebatur, & ſomnus turbatus erat; donec iteratis vicibus ſciſcitando tandem famulum adegit, ut reminiſceretur ante octiduum tegulam, licet ex parva altitudine, & abſque magno dolore in ægri caput delapſam eſſe: tum vero examinato loco, inventoque exiguo vulnuſculo vix aciculæ majoris caput æquante, cum lata pollicari contuſione, diſcindi integumenta juſſit, quo facto ſequenti jam die febris remiſſior, & omnia ſymptomata longe leviora fuerunt, benignaque ſuppuratione, depurato vulnere, feliciter ſine ullo graviori malo ægrotus evaſit.

Hic certe egregio viro non ſatis erat ad perfectam Morbi Hiſtoriam condendam, præſentia tantum explorare phœnomena, ſed & iterato accidentia, quæ morbum anteceſſerunt, indagavit. Similes tales caſus, atque præcepta hinc inde apud eundem inveniuntur, & apud alios, quæ ſequi & imitari, ſi bene in cognoſcendis morbis verſari velimus, oportet.

p) CELSUS

p) Celsus L. I. Præf. p. 14. ed. Krauſ.
q) Tissot *Avis au peuple* p. 329.
r) *Sur la Colique de Poitou.*
s) *Comment. in Aph. Boerh.* T. I. §. 243. p. 396.

§. XV.

Nunc quoque pauca de iis, quæ extra hominem ſunt, quæque ad cognitionem morbi facilitandam faciunt, exponere aggredior. Tria huc refero, clima & loci habitati ingenium, anni horas & tempeſtatem, epidemicam denique conſtitutionem.

§. XVI.

Differunt enim pro natura locorum genera medicinæ, & uti notante Celso *t)* „alia medendi ratione opus eſt Romæ, „alia in Ægypto, alia in Gallia": atque juxta L. B. Van Swieten *u)*, „Medici, qui legatos in diſſitas regiones comitantur, viderunt aliam requiri methodum, illaque ſæpe „quæ domi profuerant, peregre profectis nocere; ſic alii quo„que morbi huic climati magis ſunt familiares, quam alii." Ardentibus febribus magis vexantur, qui ſub curru nimium propinqui Solis vivunt, quam Septentrionales quibus frequentior Scorbutus eſt. Tetanus rarus apud nos in meridionali America magnam infantum partem tollit. *x)* Anglorum ſudor, Polonorum plica, Perſarum dracunculus, Indorum Beriberi, *y)* Hungarorum petechiæ, aliique ſexcenti ignoti nobis ſunt morbi, uti viciſſim Purpura noſtra & morbilli ab aliis ignorantur.

Sic & in eodem climate pro diverſo locorum ſitu morbi variant. Alii infeſtant montium, alii planitierum incolas, alii eos qui depreſſa & uliginoſa loca habitant, alii qui illos magnorum fluviorum limi, ſabulive feracium ripas colunt, alii, qui in maris litore degunt; quod e Noſtalgia, Quartanis, Scrophulis, Scorbuto patet. Urbes præcipue illæ, in quibus ſulphurearum & metallicarum exhalationum magna

copia eſt, ſuffocata loca, & ea, quæ crebris & vehementibus ventis perflantur, totidem iterum nobis varietates exhibent.

t) L. I. præf. p. 8. ed. Krauſ.
u) *Comment.* T. II. p. 109.
x) BILFINGER *de Tetano*, & WATSON *Philoſ. Tranſact.* Vol. LIII. p. 21.
y) DE SAUVAGES *Pathol. meth.* p. 225. & *Noſolog.* T. II. P. II. Cl. IV. Gen. XXII. ex BONTIO & BARTHOLINO. & TULP. *Obſ. Med.* L. IV. C. V.

§. XVII.

Quæ circa anni horas in cognoſcenda morbi hiſtoria tenenda ſunt, non puto me melius tradere poſſe, quam ex maximorum duorum virorum effatis, *Græci* HIPPOCRATIS & *Anglici*: hic *z*) de morbi hiſtoria diſſerens. "Denique, ait, „anni tempeſtates, quæ ſcilicet cuivis morborum generi „potiſſimum faveant, diligenter obſervandæ ſunt. Non inficior, nonullas eſſe omnium horarum; alii tamen nec pau„ciores occulto quodam naturæ inſtinctu, annorum tempora „non ſecus quam quædam aves aut plantæ ſequuntur. „Sæpe quidem ſubiit mirari, hoc morborum quorundam inge„nium ſatis obvium a paucis tamen fuiſſe hactenus obſerva„tum, quum, quo ſidere ſtirpes aut pecudes ſolenniter pro„creentur, plurimi curioſius annotaverint. Sed quæcunque „ſit hujus oſcitationis cauſa, pro certo ſtatuo, tempeſtatum „in quibus ægritudines ingruere conſueverunt, notitiam mul„tum medico prodeſſe, tam ad ſpeciem morbi dignoſcendam, „quam ad ipſum morbum extirpandum, atque horum utrum„que minus feliciter evenire, ubi iſtiusmodi obſervatio negli„gitur."

„Ille vero (*a*) omnes quidem morbos omnibus tempori„bus fieri, nonnullos autem in quibusdam eorum & magis „fieri,

„fieri & exacerbari, crebra obſervatione edoctus monet, eo„rumque brevem indicem recenſet."

z) Sydenham *in præfat. p. m. 8. edit. Genev.* 1757. *4to.*
a) *Sect. III. Aphor.* 19-23.

§. XVIII.

Neque anni ſolum tempora conſideranda ſunt, ſed & in illis, an conſueto modo decurrant, an minus; an hyems e. g. ſolito calidior ſit, aut an nebuloſus valde autumnus ſit, an ſubitaneæ mutationes tempeſtatis factæ ſint, quæ gravitas aëris, qui gradus caloris ſit, quantum pluviæ ceciderit, qui venti flaverint? unde meteorologicarum tabularum confecto Medico non utilis modo, ſed prorſus fere neceſſaria eſt, & qui epidemicarum conſtitutionum hiſtorias ſcribunt, ſi non integrum obſervationum ſuarum diarium addunt, tamen ſummam illarum tradere nunquam negligere debent. Hinc, ſi Janus Plancus, „quando eruditulum quemque in Philo„phia, ut aliis doctus videatur, ſi nil aliud ſcribendum ha„beat, Barometricas & Thermometricas tricas ſcribere" ait *b*), non ita ſe intellectum velit, ac ſi longa tantum diaria & calendaria meteorologica, quæ molem libri augent, improbet, ipſius vero atmoſphæræ conſtitutionis notitiam utilem eſſe admittat, ſtare ab ejus partibus non poſſum.

b) *De Conch. minus notis & de æſtu maris* p. 80.

§. XIX.

Ipſa denique epidemica conſtitutio perpendenda eſt, tam conſuetorum morborum, qui ſæpius hoc modo graſſantur, variolarum, morbillorum, dyſenteriæ &c. quam illorum, qui nova facie prodeunt, novosque quaſi morbos ſimulant, ubi in ſymptomatum decurſu & medendi methodo ſemper novi aliquid obſervatur, quales Sydenhamus, Huxhamus, Schroeckius, Ramazzini, Behrens, Vratislavien-

ſes, aliique multi *c*) ſcripſerunt. In quarum quidem concinnatione haud parum refert, præter meteorologicas obſervationes animo quoque advertere, an magna aquarum illuvies fuerit quæ fontes turbavit, aut recipiente ſe intra alveum fluvio, putreſcentibus lente plantis animalibusque aërem infecit, & ex ſubmerſis agris ſemiputrida olera macellis olitoriis ſubminiſtravit; an lues inter armenta & pecudes ſæviens multa illorum abſtulerit, an rubigine, melleo rore, clavis, aliisque morbis infecta cerealia grana, aut aphidibus corrupta obſonia fuerint; quodnam horræorum fructuum genus eo anno maxime abundaverit; cujus notæ vinum preſſum fuerit, an quadrageſimale jejunii tempus ſeverum obſervatum fuerit; & quæ ſunt alia multa, quibus pro temporum & locorum varietate inhiandum eſt.

c) Quorum magna collectio extat ad *calcem Operum* SYDENHAMI.

§. XX.

Dixi hucusque de iis, quæ morbum antecedunt, quæque omnia attente conſiderare decet, ut vera & plena Morbi Hiſtoria evadat; veniendum nunc eſt ad ea, quæ in ipſo morbo obſervantur, quorum alia a ſanitate deflectunt, alia cum eadem conveniunt, quæ vero utraque attendere juvat.

§. XXI.

Morbum cum Clariſſ. DE SAUVAGES aſſumo, eſſe pathognomonicorum ſymptomatum concurſum; quumque raro ſimplex morbus ſit, qui unico ſaltem ſymptomate abſolvatur, ſed plerumque compoſitus, hinc varia quoque in illo occurrentia ſymptomata inquirenda ſunt. Et primo quidem *pathognomonica*, *eſſentialia*, vel *neceſſaria*, ex quorum conſtanti concurſu genus & ſpecies morbi determinatur, ſive jam ſint *aſſidua*, id eſt a principio ad finem morbi præſentia, ſive in certo tantum morbi ſtadio appareant. Ita in variolis v. g. febris inflammatoria, & erumpentia exanthemata eſſen-

eſſentialia quidem ſymptomata ſunt, quia ſi abeſſent morbus in aliam ſpeciem tranſiret, (*d*) ſed aſſidua dici non poſſunt, quum tertio aut quarto demum ab invaſione die appareant.

d) GAUB. *Inſtit. pathol. p.* 113.

§. XXII.

Itaque, quum ſymptomata eſſentialia aut pathognomonica morbum talem qualis eſt nec alium conſtituant, non multa demonſtratione opus eſt, ut perſpiciatur, ea præcipua eſſe, ad quæ medicus in concinnanda Morbi Hiſtoria attendere debet, ut determinari inde ſpecies morbi poſſit, atque ex eorum ſingulis diverſus morbi gradus, & ſtadium, incrementum & decrementum ob oculos ponatur.

§. XXIII.

Sed præter hæc pathognomonica ſymptomata, alia quoque in morbis obſervamus, quæ licet illos ſæpe comitentur, tamen abeſſe aut adeſſe poſſunt, ſine morbi quoad genus aut ſpeciem mutatione: talia *non neceſſaria* optime appellantur. Errantque quam graviſſime, qui de prioribus tantum ſymptomatibus ſolliciti hæc negligunt, nunquam enim exactam completamque Morbi Hiſtoriam habebunt. Duo ſunt quæ horum disquiſitionem maxime commendant. Primum cognitio principiorum, quorum reliquias nobis exhibent, inde evadit firmior & amplior, tum certius de morbo ipſo ex variis his eum concomitantibus ferri poteſt judicium.

§. XXIV.

Oſtendetur enim infra, multorum morborum principia potius, quam cauſam perpendenda eſſe, & ſymptomata pathognomonica morbum exhibere prouti ſemper eſt, a quocunque ortus ſit principio; hinc ſymptomata non neceſſaria ſedulo expendenda ſunt, ut principiorum notitia vel acqui-

ratur, vel confirmetur. Diverſa namque aderunt certe ſymptomata in apoplexia quæ a plethora oritur, quam in ea quæ a ſanguine lento pituitoſo ortum traxit, quod ipſum in curandi quoque methodo inſignem differentiam facit.

§. XXV.

De ipſo præterea morbo multa ex non neceſſariis ſymptomatibus intelliguntur. His enim rite perſpectis, vigor vel declinatio morbi, benignitas vel malignitas, materiæ morboſæ vel cruditas vel coctio, vires vitales ad vires morbi vel auctæ vel imminutæ clare ob oculos ponuntur. Sic in febribus ſitis, dolores, æſtus, rigores, difficilis reſpiratio, deliria, urinæ pulſusque varii, diarrhœæ, ſudores, ſputa, hæmorrhagiæ, metaſtaſes, virium exſolutiones baſin diagnoſeos, prognoſeos, & indicationum conſtituunt.

§. XXVI.

Nonnunquam ſymptomata a modo dictis probe diſtinguenda in morbis apparent, quæ non a cauſa integra morbi, ſed ab ægrotantis aut medentis errore aut quovis accidente dependent, quæ bene *accidentalia* vocantur. Hæc morbum acuunt, ex miti ſævum, exitialem reddunt, novo morbo aggravant, in aliam ſpeciem commutant (*e*). Sic notum eſt, ægrum ſimplici febre ſynocha correptum äeri nimis frigido negligenter expoſitum phrenitidem, peripneumoniam, pleuritidem, anginam periculoſiſſimam metuendam habere, nec rarum eſt in aliis morbis ægros propriæ ſalutis hoſtes eſſe, dum præſcriptam a medico diætam non ſervant, imo majori cum deſiderio negata cupiunt, aut animi affectibus indulgentes motus in corpore ſæpe excitant ipſo morbo pejores, quod tam in acutis, quam chronicis ſæpiſſime dolent fruſtra conantes medici. Ex altera autem parte viciſſim medicus ſæpe peccat, cujus culpa & perverſa curationis

nis methodo ſymptomata talia accidentalia multoties oriuntur, uti ante Celeb. DE HAEN, (qui primus ſagaci ſua indagatione invenit, purpuram raro oriri, niſi ab imprudenti & nimis calido regimine) & hodienum adhuc multi forte alexipharmacis remediis, quibus ſudores in febribus non prolicere ſed exprimere tentarunt, plurimos ægros gravioribus morbis tradiderunt, aut plane jugularunt.

e) GAUB. *Inſtit. Pathol.* §. 108.

§. XXVII.

Talia autem ſymptomata ab aliis diſcernere melius non poſſumus, quam examinando ad amuſſim ea, quæ durante morbo ægrotanti acciderunt, indagando omnes fortuitos caſus, qui hisce ſymptomatibus inducendis pares fuerunt, omnem ægri diætam, uno verbo omnes occaſiones, ex quibus inter ſe comparatis certiſſime rationes inveniemus, quibus ſymptomata probe inter ſe diſtinguamus, nec alienos effectus a malo regimine oriundos ipſi morbo aut præſcriptis remediis imputemus, ſicque famam noſtram, quæ inſontibus nobis ſæpe periclitatur, ſervemus.

§. XXVIII.

Quod ſi etiam vel maxime accidentale aliquod ſymptoma a medicamento exhibito oriatur, perſpicaci medico illud eo magis occaſionem exhibebit morbum accuratius examinandi & oppoſitis ſæpe remediis feliciter curandi. *Juvantia* enim *&* *nocentia* præprimis in Hiſtoria Morbi ſedulo notanda ſunt, a quibus probe penſitatis plurima commoda ſibi ſurrexiſſe ingenuus SYDENHAMUS aliique paſſim auctores memorant. Certe in conſtitutionibus epidemicis, quas celebres viri deſcripſerunt repetitis tentaminibus eo perveniendum fuit, ut tandem didicerint, ubi venæſectiones, ubi evacuantia, ubi diaphoretica &c. nocerent, quid genius morbi

morbi ferret, quoque natura modo vellet juvari. Neque id in artis opprobrium vertendum, experimenta per damna & mortes quandoque capienda eſſe, ſed potius dolendæ ſunt cognitionis humanæ vices. Prudens Medicus his in caſibus non pertinaciter conſueta via inſiſtet, ſed remittet aliquantum a regulis quas edoctus eſt, naturæ veſtigia legere & expiſcari eandem diſcat, ſummumque Medici honorem eſſe naturæ ſervire meminerit.

§. XXIX.

Non vero ea modo, quæ a ſanitate abludunt, ad Morbi Hiſtoriam pertinent, ſed ea quoque, quæ quam maxime cum illa conveniunt. Paradoxon hoc prima ſpecie aſſertum planiſſimum videbitur attente conſideranti. Nam ad ipſum quidem determinandum morbum nihil facit, ſed gravitas aut levitas, benignitas aut malignitas, fauſta hinc atque ſiniſtra omina deſumuntur. Caput liberum, ſenſorium non turbatum, ſenſus perfecti non tamen exquiſiti, reſpiratio expedita, viſcera integra, muſculorum robur nec auctum nec inſigniter dejectum quam bene præſagiunt! Alia vero viciſſim, quæ naturali modo ſe habent, mali ominis ſunt. Pulſus enim v. g. naturalis ubi febris adeſſe debet, debilitatam vitæ vim, abſentia doloris ubi adeſſe deberet, mentem laborantem, urina citrina ubi turbata & ſedimentoſa eſſe debet, coctionem materiæ morbificæ non debite peractam eſſe demonſtrant. Tum principiorum quoque facilior indagatio fit, ut in iis quæ ſecundum naturam contingunt principia morbi non quærantur. Cavendum tamen & hoc eſt, ut nimium his non fidamus, ſed illius, quod Divinum in morbis HIPPOCRATES dixit bene memores, pulſum bonum eſſe poſſe, juxta πολυθρύλλητον illud reſpirationem bonam, urinam bonam, & ægrum nihilominus mori poſſe, ob oculos nobis ſemper ponamus.

§. XXX.

§. XXX.

Perſpectis ſymptomatibus & accurate inter ſe diſtinctis, enucleanda inde cauſa morbi atque principia ſunt. Solent quidem Medicorum plurimi in curandis morbis cauſam ſolummodo, quam proximam vulgo vocare ſolent, reſpicere, & hac intellecta, quod autem ſæpe ex hypotheſi tantum fit, omnem operam in eo collocare, ut hanc amoveant, cum potius remotiores cauſas, ſeu principia morbi plerumque altius rimari deberent. Licet enim certum ſit, ſublata cauſa proxima morbum tolli, remotamque ſæpe nullo modo poſſe intelligi, & uti SYDENHAMUS ait, *f*) "in pleuritide e. gr. „diu atque incaſſum ſe fatigabit aliquis, nec tamen mente „aſſequetur pravam illam craſin, & male cohærentem ſangui„nis texturam, quæ prima eſt hujusce mali origo; qui vero „cauſam, a qua immediate producitur, recte cognoverit, & „ab aliis morbis quibuscunque rite valeat diſtinguere, non „minus certo curandi ſcopum attinget, etiam neglecta otioſa „iſta atque inutili remotiſſimarum cauſarum indagine": licet & illud verum ſit, ablatis principiis nihiloſecius proximam adhuc cauſam quandoque perſiſtere poſſe, uti in hæmorrhagiis e. gr. curata quidem plethora eſſe poteſt, ſed orificia vaſorum aperta manere, quæ quum cauſæ proximæ partem conſtituant, adſtringentibus claudenda ſunt, ut ſanguis huc fluere adſuetus ſiſtatur; aut veluti in febribus frigidis correcta quidem & evacuata materia morbifica eſſe poteſt, ſed adſueta motibus febrilibus natura cortice compeſcenda eſt: tamen in pluribus morbis præcipue chronicis remotæ cauſæ aut principii, ſive illud jam ſimplex ſit, ſive plura eorum concurrant, cognitio ad ediſcendam morbi indolem omni modo neceſſaria eſt, quum eadem proxima cauſa a diverſis principiis ortum trahere poſſit, quæ diverſa, imo contraria ſæpe remedia expoſcunt.

f) *in Præfat. p. m.* 13.

§. XXXI.

Pro exemplo ſit tuſſis, cujus principium ſi rationalis Medicus nimiam pulmonum laxitatem, aut mucum in eis collectum conſtituere ex ſymptomatibus cognoſcit, tum certiſſime non ſperma ceti aut alia relaxantia, quæ quidem ab imprudentibus Medicis in genere in omni tuſſi dantur, in hac ſpecie vero abſolute noxia ſunt, exhibebit, ſed contraria methodo mucum ſpiſſum reſolvet, aut pulmones totumque corpus roborabit, adeoque in morbi principium omnem curam ſuam convertet.

§. XXXII.

Hæc proinde morborum principia ante omnia merentur in quæ ſedulo inquiratur. Quid? quod dicere palam haud verear, plurimos a Medicis errores committi, quod ea ignorent. Ignorant autem ideo, quia vel non perſpicaces ſatis ſunt, ut illa eruant, vel earum cognitionem haud neceſſariam eſſe exiſtimant. Quot non eorum inveniuntur, qui ad ægrorum lectulos accedentes vix aliud quid niſi morbi externam faciem examinant, ſtatimque de remediis, imo de formula, quam ſimili in caſu adhibuerunt, cogitant. Suppreſſi ſunt menſes, confugitur ſtatim ad pellentia, quæ apud materiæ medicæ ſcriptores ſub malo Emmenagogorum titulo proſtant; adeſt gonorrhœa, juvabis tu illico bone Mercuri; pectoris morbis omnibus opponuntur becchica; febribus, dyſenteriæ &c. decantata ſua ſpecifica. Quaſi vero morbos, qui quoad nomen, & ſymptomata iidem ſunt, etiam quoad principia ſemper eoſdem eſſe, neceſſe ſit. Si ergo bona fortuna harum ægritudinum principia talia ſint, quæ præſcriptis remediis tollantur, bene ſe habebunt res ægroti, ſin minus, vel nihil efficiet Medicus, vel ignorantia ſua & negligentia illum perdet. Hinc plures adeo ſæpe mirantur, eodem medicamento, quod in quibuſdam cum ſucceſſu adhibuerunt, apud

apud alium, qui ejuſdem nominis morbo ægrotat, nil proficì, aut morbum plane augeri. Ceſſarent hi certe ab admiratione, ſi non ſpecifica remedia quæ pauca dantur, non abſoluta quæ nulla proſtant, non arcana quæ ignorantiæ aſylum & lucri cupidorum inventum ſunt, ſectarentur, ſed ratiocinium Medicum, ſine quo vera ars ſalva eſſe non poteſt, conſulerent, & veram morbi notitiam, completamque hiſtoriam ſibi adquirerent, Celsiani g) effati memores, " qui „non eadem omnibus etiam in ſimilibus caſibus opitulari, & „vix ulla perpetua præcepta medicinalem artem recipere tradit.

g) *Lib. I. præfat. p. 9.*

§. XXXIII.

In hanc vero principiorum cognitionem non niſi frequenti obſervatione & diligenti cura, præcipue ea ſollicite examinando, quæ ſupra de iis quæ morbum antecedunt diximus, inciditur; in qua obſervandi induſtria ut noſtri ævi Medici veteres magis imitentur, optandum eſt, recteque eos increpat Gaubius h), ubi dicit: " quod ſi vetus empiricorum ſchola in his ſolis male acquievit, magis etiam culpandi ſunt recentiores, qui remotis inſuper habitis proximæ „tantum cauſæ ſcrutinio ſeſe addicunt, quæ tamen ſæpe in„acceſſa eſt, niſi evidentiores remotæ præluxerint." Quod ſi etiam vel maxime prædiſponens morbi principium ita lateat, ut nullo modo inveſtigari nedum tolli poſſit, tamen cum experientia docuerit, illud ſilere niſi certis occaſionibus & nocentibus potentiis excitetur, hinc eo magis hæ conſiderandæ, & cum ſæpe minutiſſimæ exiſtant, omni ſtudio inveſtigandæ ſunt. Sic Galenus i) in juvene Grammatico obſervavit, eum ſimulac diætam diutius ſuſtineret, inſultu epileptico corripi, quem data panis buccella præcavere didicit, quod quum diu continuaviſſet, curatus tandem plane morbus eſt. Hic itaque non proximam morbi cauſam, non

diſponens principium, ſed occaſionem tantum ſpectavit, eaque ſublata morbum debellavit. "Ubi enim," ut SWIETENII *k*) verbis utar, "paroxyſmi per aliquod tempus caveri poſſunt, „videtur ſenſim minui illa cauſa proëgumena non excitata „per magnum temporis intervallum, & quemadmodum illæ „ideæ, quarum memoria magno temporis ſpatio non renovatur in nobis, ſenſim delentur & evaneſcunt quaſi, „ita & aliqua ſpes eſt diatheſin morborum diu ſilentem, nec „excitatam per cauſas occaſionales, ſenſim deleri poſſe, vel „ſaltem ſic diſponi, ut minus facile a cauſis occaſionalibus in „actum ducatur."

h) *Inſtit. Pathol.* §. 73.
i) *de locis affectis L. V. C. VI. Tom. VII. ed. Chart. p.* 492. 493.
k) *Comment. Tom. III. p.* 439.

§. XXXIV.

Si igitur tantam curationis ſpem in cognitis morborum principiis ponant clariſſimi viri, ut inter hos facile princeps L. B. VAN SWIETEN *l*) credat firmiſſime, "ſi omnem ani„mi attentionem adhiberent hic Medici, quod ſanarent plu„rimos, (non epilepticos modo ſed alios quoque multos chro„nicos) & levamen afferrent fere omnibus;" ſi idem vir omni encomio major difficillimos morbos tunc curatu faciles habeat *m*), quantum non incumbant Medici inquiſitioni adeo utili, quantam non dare debent operam, ut ſimiles cum ſummo viro hujus indagationis effectus, & ad famam ſuam conſervandam, & ad ferendum miſeris auxilium læti perſpiciant?

l) *Comment. T. III. p.* 439.
m) *l. c.* ubi enim hoc factum eſt, ait, tota difficultas evanuit, nam reliquum eſt tantum facilis executio bene perpenſarum rerum.

§. XXXV.

§. XXXV.

Sed dolendum utique eſt, amplam multorum Medicorum praxin, qua obruti ſunt, in cauſa eſſe, cur ſæpe in cura non epilepſiæ modo, uti VAN SWIETEN *n)* ait: "ſed mul„torum chronicorum morborum deficiant, cum tempus ipſis „non ſuppetat, ut ſingulari ægro tantam curam impendant;" hinc, quod idem *l. c.* monet, "optimum eſt, dare regulas „harum obſervationum illis, qui cum ægris verſantur, ut ſol„licite notent omnia, quæ ſingulis diebus contigerunt, & „in diaria redigant." Quumque vulgo juniores Practici ob minorem propriam experientiam poſthaberi ſenioribus ſoleant, exhibetur nobis hic caſus, ubi his juniores præſtant, qui multis negotiis nondum diſtricti expendere curatius omnia, & rimari minimas morbi circumſtantias poſſunt.

n) Comment. T. III. p. 439.

§. XXXVI.

Si jam perfecta aliqua Morbi Hiſtoria concinnanda eſt, requiritur, ut omnia ea, de quibus hucusque dictum eſt, juſto ordine, prouti ſibi invicem ſucceſſerunt, deſcribantur, ut dies quibus hæc phænomena acciderunt, denominentur *o)*: ſic enim narrando diſtingui poterit morbi in diverſis ſtadiis violentia, vel remiſſio, & vera ejus natura. Dici non poteſt, quam confuſe ſæpe, ubi ſcriptum de morbo aliquo judicium a celebri Medico expetitur, exhibeantur morborum hiſtoriæ, quas intelligere vix Oedipus valeat.

o) Id præter alios bonos Practicos & Obſervatores præcipue a SYDENHAMO obſervatum videmus paſſim; & egregie in HALLERI *Opuſcul. Patholog. Obſerv. XLIV.*

§. XXXVII.

Neque minimam hic circumſtantiam omittere decet, quæ omnem rei faciem juxta vulgare proverbium ſæpe immutat;

quod etiam tantopere laudat Clar. DE SAUVAGES *p*), dum ſummo jure ſatis acriter reprehendit morem qui invaluit, omnia generaliter, & vage tantum explorandi, omnemque in phœnomenis perquirendis circumſtantiarum, & cauſarum diſtinctionem, & quantitatum determinationem prætermittendi, & incompletas tales indagationes cum Mathematicorum analyſi comparat, ubi unico omiſſo ſigno, minima quantitate neglecta, contraria aut falſa prorſus exſurgit problematis reſolutio, ut quod negativum eſſe debebat, poſitivum evadat, & contra. Egregie quoque hanc in rem SYDENHAMUS *q*) "ſeponatur tantiſper oportet quæcunque hypo„theſis philoſophica," ait, "quæ ſcriptoris judicium præoc„cupaverit; quo facto tum demum morborum phænomena „clara ac naturalia, quantumvis minuta per ſe, accuratiſſime „annotentur; exquiſitam pictorum induſtriam imitando, qui „vel nævos & leviſſimas maculas in imagine exprimunt."

p) *Noſolog. meth.* T. I. proleg. p. 18.
q) *Præfat.* p. 8.

§. XXXVIII.

Qui hactenus dicto modo in adornanda Morbi Hiſtoria procedet, illum omnia ea quæ maximus BOERHAAVIUS *r*) requirit, expleviſſe putaverim, qui vult ut

1) uniuscujusque mali phænomena, individua, propria, communia, conſiderate cognita, juſto ordine, vera fide proponantur.
2) Cuncta quæ acciderunt ægro, ab iis quæ egeſſit, ingeſſit, retinuit, excrevit, vel ſibi applicuit, dum morbus adfuit, enarrentur.
3) Auxilia victus, manus, medicamentorum, una cum vera methodo applicandi, prouti caſus vel ars obtulit, exponantur.

4) Ea

4) Ea quæ ex hisce tribus .... veriſſime deduci queunt, ita ut pro regulis praxeos accipi tuto poſſint, concludendo eliciantur.

r) *Aphor. de cogn. & cur. morb.* §. 14.

§. XXXIX.

Hæc ſunt quæ de Morbi Hiſtoria Speciminis Academici loco proferre lubuit, cujus utilitatem tanti facio, ut eam cum SYDENHAMO s) omnem æſtimationem excedere putem, & præ qua ſubtiles disquiſitiones, ac argutiolas nullo in numero habendas eſſe, cenſeam, perſuaſumque mihi cum eodem t) ſit, me, ſi Morbi cujuslibet Hiſtoriam diligenter perſpectam haberem, par malo remedium nunquam non allaturum eſſe, variis ejusdem phænomenis viam, qua mihi incedendum foret, haud dubiam præmonſtrantibus; quæ quidem phænomena, ſi inter ſe ſedulo conferantur, manu quaſi ducerent ad indicationes illas maxime obvias, quæ ex intimo naturæ ſenſu non vero phantaſiæ erroribus depromuntur.

s) *Præfat.* p. 9.
t) *ibid.* p. 9. 10.

T A N T U M !

THESES THEORETICÆ.

I. *Cerebellum unice organis vitalibus inſervire repugnat Anatomiæ & experientiæ, neque cerebellum cerebro ſolidius eſt, ſed contra, ergo nulla datur vera inter cerebrum, & cerebellum diſtinctio, & theoria ſomni* BOERHAAVIANORUM *falſa eſt.*

II. *Muſculi intercoſtales ex - & interni ſimul coſtas in inſpiratione elevant.*

III. *Cauſa neceſſitatis, quare inſpirationem exſpiratio ſequatur, & viciſſim, bene explicatur ab anxietate poſt utramque oriunda, quam moleſtiam anima præcavet, & avertit per conatum exſpirationis, vel vice verſa. Male vero explicatur cum* HAMBERGERO *a tractis in inſpiratione, & paulo poſt ſe contrahentibus muſculis intercoſtalibus internis, & viciſſim; male quoque per preſſionem venæ azygos cum* STROEMIO, *aut nervi phrenici cum* LUDWIGIO, *quam in inſpiratione contingentem preſſionem paralyſin muſculorum intercoſtalium, aut diaphragmatis ſequi, male aſſerunt Clari Viri; male demum etiam cum* BOERHAAVIO *per id, quod in fine inſpirationis cor ſiniſtrum minus ſanguinis accipiat, minus hinc aorta, minus muſculi intercoſtales, minus cerebellum, & ſic reſolvantur muſculi intercoſtales & diaphragmatici.*

IV. *Sicut ergo reſpiratio, ita & ſuſpirium, & oſcitatio & anhelitus, & nixus, & tuſſis, & ſternutatio ſemper ex animæ imperio fient ad ſtimulos, vel obices amovendos, imo „ſi ob irritationem diaphragmatis cum ſcirrho, aut abſceſſu „hepatis tuſſis conjungitur, etſi cauſa irritans ea via expelli „nequeat ſimilis mali per ſimilem conatum ſimile levamen „anima ſperat."* VON HALLER Element. Phyſiol. T. III. Lib. VIII. Sect. IV. §. 35. in fine; hisce quoque Cl. DE SAUVAGES ubique conſentit.

V.

V. *Singultum, licet repugnet* HALLERUS, *Duce* Cl. DE SAUVAGES, *animæ imperio ſimiliter tribuere potius, quam denegare vellem.*

VI. *Acuties vel gravitas vocis optime derivatur a ligamentis glottidis plus vel minus tenſis ſecundum novum ſyſtema vocis* Cl. FERREIN, *male vero a rima glottidis plus vel minus anguſtata.*

VII. *Nervos motorios & ſenſorios diſtinctos eſſe ſtatuendum eſt.*

VIII. *Vis ſentiendi valde differt a vi inſita, id eſt irritabilitate* HALLERI, *nam hæc nil attinet ad nervos.*

IX. *Tendines non videntur eſſe continuationes fibrarum muſcularium, nam non ſentiunt, neque gaudent vi irritabili: idem verum eſt de ligamentis.* vid. v. HALLER Elem. Phyſiol. Lib. X. Sect. VII. §. 8. item Lib. XI. Sect. II. §. 8.

X. *Cum dura mater quoque ſine ſenſu ſit, hinc cephalalgiæ alia ſedes eſſe poteſt.*

XI. *Diviſiones globulorum merentur rejici.*

XII. *Uti & ſeries vaſorum ſibi ſuccedentium, & error loci* BOERHAVII, *id eſt tranſitus ſanguinis in vaſa non ſanguinea.*

XIII. *Neque inflammatio eſt talis error loci, ſed "plerumque adeſt effuſio in telam celluloſam, aut ſi ſimplex ſit inflammatio in oculis frequens, tunc ea fit non adeo a globulis cruoris in aliena loca transfuſis, quam ab iisdem majori numero impulſis in vaſa ſanguinea quidem, verum ideo pellucentia, quia unum globulum vehunt."* v. HALLER Opuſcul. Patholog. Obſ. XLIII.

XIV. *Ex Obſtructione ſola fieri inflammationem, repugnat legibus hydrodynamicis & experientiæ, imo tumorem fieri poſſe ex velocitate aucta, ſalva vaſorum libertate, ſatis notum eſt.*

XV. *Oſtia arteriarum coronariarum cordis in ejus ſyſtole claudi a valvulis ſemilunaribus, ab Anatomia refutatur.*

XVI. *Tumores calidi paululum notabiles fluidorum rareſcentiæ adſcribi nequeunt, utpote quæ fere pro nulla haberi poteſt, & potius a vi truſiva cordis deducuntur. Hanc ſententiam, quæ contra plures Neotericos eſt, latius confirmant* Cl. DE SAUVAGES Noſol. Method. T. I. Claſſ. I. §. 106. item Claſſ. II §. 176. *des Effets de l'Air p.* 32. Elem. Phyſ. p. 138. & v. HALLER Elem. Phyſiol. T. II. Lib. V. Sect. II. §. 16.

XVII. *Habenæ nerveæ ab* HALLERO *excitatæ bene ab eodem nec conſtringi, nec relaxari, poſtea reclamati ſunt* in *ſecond Memoire ſur les Parties irritables* p. 238. Elem. Phyſiol. Lib. X. Sect. VIII. §. 31.

XVIII. *Qui ferrum in ſanguine ſtatuunt ideo, quia id ex eo ope ignis produci poteſt, contra Chemiam impingunt, nam ad principia Chemiæ pertinet, educta & producta diſtinguere.* vid. JAC. REINBOLDI SPIELMANN, Præceptoris mei in æternum venerandi, *Inſtitut. Chemiæ* §. 10. 11.



Amicus, ipſo, quo Carmen gratulatorium pangere ſtatuerat, die, & ſequenti febris malignæ impulſu vehemente correptus ad Prænobilem Dn. Defendentem.

EPIGRAMMA.

O! quem Caſtalio, toties recreavimus hauſtu,
Altera pars animæ (ſcis tamen ipſe) meæ!
Dum Tibi gratari merito JOSEPHE paramus:
Noſtra repentinus corpora languor habet.
Volvitur ancipiti gyratum turbine circum,
Nec potis eſt ſemet ſuſtinuiſſe caput.
Brachia cum pedibus, tanquam præciſa, ſtupeſcunt,
Cunctaque laſſati corporis oſſa dolent.
Quid tamen hoc monſtri? calamum vix prendimus, ecce
Vires febrilis perdidit ira ſuas.
Pectora nec tanto nobis ſentimus ab æſtu,
Fervere, nec tanto frigore membra quati.
Hinc, puto, ſat cernis, Medicæ Pater almus Apollo
Quanti Te faciat, judiciumque Tuum.
Nam Tibi, qui febrim juſſit modo cedere, pellet
Forfice terribiles, Te veniente, Deus.

Juliaci, 1766.

FRANC. XAVERIUS HELLMANN,
Colleg. ib. Vic.